



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

45. An sit denunciandus Confessarius, qui non absoluit foeminam ex aliqua
iusta causa, si tamen illam sollicitet? Et quid, si foemina sub Crucis signo
velit peccata detegere, & à Confessario ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ex Edicto DD. Inquisitor. &c. Ref XLII. &c. 395

cessionem deputato, & sub confessionis figura, ut ita dicam, simulat Confessor ad inspectantes illudendos confessionem audire, et si ab ipso non incipiat sollicitatio, nec præcedat inter eos tractatus, simulatio namque ipsa per se sufficit. Ita Freytas. Igitur prætextus confessionis, de quo agit Constitutio Gregoriana, debet esse proximus, non autem remotus à loco & statu confessionis, de quo videndus est Soula de Confess. sollicit. in addit. n. 10.

RESOL. XLII.

An sit denunciandus Confessarius, qui dicente femina se velle in crastino confiteri, illam sollicitat, & confessionem diffundit? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 6.

S. 1. Non esse denunciandum tenet Sancius in selectis disp. 1.1. num. 49. ubi sic ait: Si femina se velle crastino confiteri diceret, & tunc dissuadet Confessarius, & venerea ageret, propriè non dicitur sollicitata proximè ante confessionem, cum tunc quando sit sollicitatio, nolit femina confiteri, unde sollicitatio tunc non est proxima confessioni faciendæ, sed proxima conventioni de illa agenda. Ita ille. Cujus sententiam novissimè invento docere etiam Castrum Palatum tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 8. n. 4.

2. Sed in terminis Bullæ Gregor. XV. contrariam sententiam tenendam esse puto, quia hæc sollicitatio efficitur in confessionario, & Confessarius dum pœnitentem sollicitat, simulat ejus confessionem audire; ergo includitur in dicta Bulla, & ideo est denunciandus. Et ita hanc sententiam tenet Fagundez de precept. Eccles. in editione novissima, pr. 1. lib. 4. cap. 3. num. 49.

RESOL. XLIII.

An Confessarius sollicitans feminam ad confessionem accedentem, quia eam ipse prævenit, faciendo diffundere confessionem in aliud tempus, sit denunciandus?

Et quid est dicendum, si mulier absque Confessarii suavisu, in ipsa jam confessione incepta à confitendi proposito desistat, dicatque Confessario amplius nolle confiteri, sed confabulari, & postea longa confabulatione interiecta, sollicitatio sequatur? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 46.

S. 1. Negativè respondet Antonius Soula opus. de Confess. sollicit. tr. 1. cap. 18. num. 7. ubi sic ait. In hoc decreto Pauli V. existimo non comprehendi casum illum, nimirum si accedens femina confessionis causa à Confessario præveniat, ut confessio in alio tempore differatur, mutuoque confitendi animo à Confessario sollicitetur, nam sollicitatio tunc non est immediata ad confessionem, cum ante omnem sollicitationem mutuum sit propositum confitendi; sicut si femina ipsa, quæ alias ut confiteretur accessit, dicat Confessori se jam confiteri nolle, & Confessarium sollicitet, cui sollicitationi ille consensum præbeat, imò & in actum venereum illic deveniat, pro eodem enim reputo mulierem propositum confitendi mutasse jam ad pedes Confessoris, ac si domi, aut in itinere antequam ad Confessarium accederet, illud mutasset, dummodo id fuerit ante sollicitationem. Idem etiam puto si mulier absque Confessarii suavisu in ipsa jam confessione incepta à confitendi proposito desistat, dicatque Confessario amplius nolle confiteri, sed confabulari, & postea longa confabulatione interiecta, sollicitatio sequatur. Hec omnia Soula.

2. Quæ quidem an sint probabilia in terminis de-

creti Pauli V. remitto me judicio aliorum: nam Freitas in addit. ad tract. de Confess. sollicitant. quest. 14. num. 16. docet in casu primo, quem ponit Soula, Confessarium esse Inquisitoribus denunciandum. Sed quicquid sit de hoc, certum est hodie stante Bulla Gregor. XV. hos Confessarios esse denunciandos, quia hæc sollicitatio efficitur in confessionario, & Confessarius dum pœnitentem sollicitat, simulat ejus confessionem audire; ergo includitur in dicta Bulla, us in casu simili ex Fagundez supra dictum est.

Supr. in ref. quæ hic est antecedens.

RESOL. XLIV.

An sit denunciandus Confessarius, qui feminam ad confessionem accedentem ante signum Crucis sollicitat illam, dilata in aliud tempus confessionem?

Et quid est sciendum, si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri, illam sollicitet, quamvis confessio non sequatur? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 39.

S. 1. Est talem Confessarium denunciandum in terminis Bullæ Greg. XV. non est dubitandum. Difficultas est in terminis aliarum Bullarum Pauli V. Clem. VIII. &c. Negativè respondet Soula de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 18. num. 7. Sed adversus illum, & merito, insurgit Freitas in editione novissima de Confess. sollicit. quest. 14. num. 28. quia praxis S. Officii est in contrarium, cum tales Confessarii in Tribunali Sacræ Inquisitionis plectantur, ut accidisse Pinciaz testatur ipse Freitas. Deinde certum est secundum communem opinionem Doctorum, & tenet Moura opus. 1. de incant. sect. 3. cap. 3. num. 18. in terminis dictarum Bullarum Confessarios sollicitantes paulo post, vel ante confessionem, esse denunciandos; sed hoc accidit in casu nostro; ergo, &c. Deinde non satis percipitur discrimen inter hunc casum, & illum, quem probat ipse Soula in num. 6. ubi sic ait: Idem existimo, si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri, ipsam sollicitet, quamvis confessio non sequatur, siue quia sollicitata confiteri postea noluit, siue quia Confessarius audire recusavit, aut ad alium Confessorem remisit. Ita ille. ergo omnino dicendum in dubio proposito talem Confessarium esse Inquisitoribus denunciandum.

Sup. contēto in hac Ref. in ref. præced. ita & in ref. seq. cū eodē Freitas in fin. & inf. in ref. 81. post med. à vers. qui etiam.

RESOL. XLV.

An sit denunciandus Confessarius, qui non absolvit feminam ex aliqua justa causa, si tamen illam sollicitet?

Et quid, si femina sub Crucis signo velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia sollicitante?

Et quid est dicendum, si filiam spirituales, hoc est ex præcedentibus confessionibus notam, ad genua procumbentem ante signum Crucis illam preoccupat Confessarius sollicitans? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 30.

S. 1. Respondet affirmativè Sancius in selectis disp. 1.1. num. 41. ubi sic ait: Si Confessarius deprehendens feminam verum propositum emendationis non adducere, & ob id absolvendam non iri, adhuc sollicitet, pœnas Brevis non vitabit, quia licet Sacramentum non conficiatur, accusatio tamen in foro conscientie fit, quæ sufficit ad obligationem sigillis; & liquet quoque ex decreto Greg. X V. in illis verbis, Qui occasione confessionis etiam ipsa confessione non sequuta sollicitare, &c. Ita Sancius, cui addendus est Acugna tr. de Confess. sollicit. quest. 14. num. 10. ubi ejus additionator Freitas num. 16. alios duos casus sollicitatio-

Sup. hoc inf. in ref. 87. Si verum prope fin.

nis

Quod hos
avos casus
lege doct.
precedentis
Ref. & sup.
ref. 43. &
inf. Ref. 81.
post med. a
verf. qui etiā

nis popit, etiam in terminis aliarum Bullarum ante constitutionem Gregorianam. Primò, si fœmina sub Crucis signo velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia sollicitante. Secundò, si filiam spiritalem, hoc est, ex precedentibus confessionibus notam ad gehœa procumbentem ante Crucis signum præoccupet Confessarius sollicitans.

RESOL. XLVI.

An Confessarius audiens in confessione mulierem incidisse in aliqua peccata sensualia, insequens illam descendentem paulo post ab Ecclesia, & in itinere illam sollicitat, incidat in penas, & sit denunciandus?

Et quid, si ante discessum ab Ecclesia talis Confessor fœminam sollicitaverit? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 7.

Sup. hoc sup.
cursum in fin.
Ref. 40. sed
lege eam
per tot.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Laurentius de Peyrinis in privileg. Minimo. 2. constit. 4. Gregor. XV. scilicet. 2. num. 2. ubi sic ait: Occasione confessionis diceretur sollicitare Confessor, qui audiens mulierem in confessione, tamque levem ibi cognoscens, lenonem paulo post additæ mulieris vestigia insequenda mitteret, tamque domum intrantem sollicitaret, seu etiam in itinere. Ita ille, qui pro hac sententia citat Iacobum de Giassis; & ita hanc sententiam novissimè docet etiam Lezana in summ. quæst. regular. cap. 19. num. 34. vir quidem doctus, & amabilissimus.

2. Sed tu cogita, nam secundum aliquos si Confessarius diverit ad alios actus, in dicto casu sollicitatio neque moraliter, neque physice inceptit in locis prohibitis à Pontificibus, ergo, &c. licet Confessarius utatur scientia confessionis, non tamen, ut dictum est sollicitat penitentem in locis prohibitis sollicitare, ergo non incidit in penas Bullæ, neque denunciandus erit. Imò putant neque Pontificias Bullas contravenire, si ante discessum ab Ecclesia talis Confessor fœminam sollicitaret, dummodo id efficeret extra tempora & loca in Bulla Gregor. XV. contenta. Et ita sentiunt docti recentiores à me consulti, & præsertim aliqui Magistri Illustrissimæ Societatis Iesu, quia prætextus confessionis, de quo agitur in Bulla, debet esse proximus, non autem remotus à loco & statu confessionis, ut docet Soula opusc. de Confessor. sollicit. in addit. num. 10 & de occasione idem dicendum putant. Sed ego in hac quæstione de meo nihil asserere volo.

RESOL. XLVII.

An sit denunciandus Confessarius, qui tribuit penitentem chartam in confessione; postea tamen legendam, in qua ad veniorem sollicitabat? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 2.

Sup. hoc sup.
in Ref. 40.
cursum pro
p. fin. verf.
Confessari-
um.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Ioan. Sancius in selectis disp. 1. num. 31. ubi sic ait. Confessarius penas Brevis non effugiet si chartam continentem sollicitationem tradat fœminæ penitenti, quamvis non statim legendam conferat. nam cum traditur charta, incipit sollicitatio, & injuria fit Sacramento, quo monendum erat penitenti vitam in melius mutare, instrumentum conferatur, quo laucietur. Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam iudicat probabilem novissimè Castr. Palas tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 4. num. 2. si charta non immediate post susceptum Sacramentum legatur, sed transacto jam tempore, quia talis chartæ traditio est solum causa sollicitationis, non verò

sollicitatio, non enim tunc quando traditur charta, movetur penitens ad malum, ut supponitur; ergo tunc non sollicitatur, sollicitatio namque est motio voluntatis alienæ, cum autem non moveatur penitens voluntas in confessione, sed extra, quando scilicet legit chartam, efficitur in confessione non fuisse factam sollicitationem, ac proinde non fore ex obligatione denunciandum. Cæteras rationes videbis apud Castrum Palaum.

3. Et ad argumentum non tactum à Castr. Pala quod ex negativa sententia daretur aulæ, & occasio Confessariis sollicitandi penitentes fraudando legem, & eludendo cum hac inventione penas inflitas adversus eos in Bullis Pontificiis, forte quis posset respondere ex doctrina doctiss. Emanuelis de Moura in opuscul. 1. de enfal. & incant. sect. 3. cap. 3. num. 18. quod Confessarius in committendo delicto si sibi caveat à circumstantiis quæ illum submittunt Inquisitionibus, faciuntque delictum enormius, hoc non est facere fraudem legi, sed facere opus prudentie humanæ & cautelæ, quo magis fidem proficitur.

4. Verum his non obstantibus tu ne recedas à sententia affirmativa Sancij, quia talis sollicitatio moraliter incepta fuit in confessionario, quando Confessarius tradidit chartam postea legendam fœminæ. Et ideo adversus sententiam negativam, quam priorius ego improbo, meritò novissimè insurgit Sagandæ de præcept. Eccles. in editione novissima, pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 62.

RESOL. XLVIII.

An penitens, qui ignoranter accusavit se in confessione habuisse animum peccandi cum ipso Confessario, unde ex hoc illam sollicitavit, teneatur dictum Confessarium denunciare? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 20.

§. 1. **R**espondeo affirmativè cum Bonacina in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 17. ubi sic ait. Fœmina non obligatur ex vi constitutionum Apostolicarum ad denunciandum Confessarium, cui expressè, vel tacitè suum libidinofum animum erga ipsum significavit, ut ipsum ad peccatum induceret, & Confessarius occasione inde arripit turpem aliquem actum cum ea exercendi. Hoc tamen intelligitur, modo fœmina turpem suum amorem Confessario significet animo ipsum provocandi, tunc enim ipsa dicitur sollicitare Confessarium, non autem ab ipso sollicitari secus si hoc aperiat Confessario animo confitendi, seu accusandi se de gravi illo affectu, & Confessarius aniam inde assumat exequenda libidinis, tunc enim Confessarius dicitur sollicitare penitentem. Ita Bonacina.

RESOL. XLIX.

An Confessarius, si in actu confessionis dicat penitentem, se io fuisse secolare, vi prendere por moglie, si denunciandus tanquam sollicitator?

Et an interpret confessionis, si sollicitet penitentem, sit denunciandus?

Et alia curiosa dubia notantur circa crimen sollicitationis, & adducuntur diversi casus in textu hujus Resolutionis, sed jam ferè omnes magis latè in suis specialibus Resolutionibus nunc sunt transcripti, & assignati in hoc quæstionet tractatu. Ex part. 9. tract. 9. & Misc. Ref. 32.

§. 1. **N**egative respondet Bordonus in sacro Tribunal. c. 23. qu. 3. n. 54. quia dicta verba nullum dicunt